

**Dissertatio medica inauguralis, de hypochondriasi ... / Eruditorum examini
subjicit Petrus Venables.**

Contributors

Venables, Peter.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Robertum Allan, 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v4c4a2xz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI.

DISSERTATIO MEDICA

IN AURALIS

HYPOCHONDRIÆ

10
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PETRUS VENABLES, A. M.

CHIRURGUS

SOCIET. REG. PHYS. PRÆSES ANNUUS,

NEC NON

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

HIBERNUS.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Nil prodest, quod non laedere possit idem.

Eripit interdum, modo dat medicina salutem.


OV. TRIST.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCCC,III.



VIRO BONO PROBOQUE

JACOBO HAMILTON, M. D.

ARTIS OBSTETRICÆ IN ACADEMICA EDINENSI

PROFESSORI,

COLL. REG. MED. EDIN. SOC.

SCIENTIA MEDICA

PERITISSIMO,

URBANITATE,

BENEVOLENTIA,

OMNIBUS DENIQUE VIRTUTIBUS

QUÆ

HOMINEM, CIVEM, MEDICUM

DECENT

ORNATISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM

ANIMI BENEFICIORUM IN ÆTERNUM MEMORIS

TESTIMONIUM


PEREXIGUUM, SED SINCERUM,

EX CORDE

OFFERT

DISCIPULUS SUUS DEVINCTISSIMUS

PETRUS VENABLES



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

NEC NON
VIRO REVERENDO ATQUE ERUDITO
JOANNI WALKER, A. M.
COLLEGII
SACRO-SANCTÆ ET INDIVIDUÆ
TRINITATIS
JUXTA DUBLIN
SOCIO,
(C U J U S
TEX PRÆCEPTIS AMICISSIMIS ET TUTELA FIDELI
DUM VITAM ACADEMICAM PERAGEBAT,
PERMULTA BENEFICIA NUNQUAM
OBLIVISCENDA
ACCEPIT)
HOC, QUALECUNQUE OPUSCULUM,
SUMMÆ REVERENTIÆ
A C
AMORIS
MONUMENTUM,
D. D. C.QUE
A U C T O R.

— “ Wraps the hour of woe in tenfold night.
“ And often, where no real ills affright,
“ It’s visionary fiends, an endless train,
“ Affail with equal or superior might,
“ And thro’ the throbbing heart, and dizzy brain,
“ And shivering nerves, shoot stings of more than mortal
“ pain.”

BEATTIE’S Minstrel.

CORRIGENDA.

P.	9.	l.	1.	<i>pro</i> sequælem	<i>lege</i> sequelam.
—	13.	—	8.	ineftinalis	— intestinalis
—	13.	—	16.	cereberi	— cerebri.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI.

P. VENABLES, AUCTORE.

HYPOCHONDRIASIS, secundum CULLENUM, ita designatur, “Dyspepsia cum mœstitia, languore ac metu ex causis non æquis in temperamento melancholico.”

Ex hac definitione, mentem corpusque simul labe corripì satis constat, haud numeranda sunt igitur omnia illius symptomata, ea vero sæpissime et constantissime occurrentia scilicet, quæ animum tubum-

A

que

que intestinalem agitant, huc adducere sufficiet, horum igitur phænomena accuratius spectabo, et quæ tubum intestinalem afficiunt, prius veniunt perpendenda.

Appetitus valde mutabilis est, aliquando ita imminuitur ut cibum omnino respuit æger, deinde *vice versa* penitus insatiabilis evadit, et victu in ventriculum (præcipue si vegetabilis esset) accepto, pondus et oppressio circum præcordia sentiuntur, postea eructationes sequuntur, ex alimenti naturâ autem pendentes, si diæta animali vescatur putridæ sunt, si vegetabili acidæ, si oleaginosa rancidæ, his nausea vomitusque sæpe succedunt; spurcities e ventriculo vomitione ejecta facies diversas exhibet, in nonnullis viscida et firma esse videtur, in aliis tam acida, ut vel pannum linteum erodere queat.

Cruciatus in regione epigastricâ adfunt, et aliquando molestiæ sensus peculiaris, quem vulnus exustione inductum æger æmulari dicit.

Tubus intestinalis frequenter in variis partibus distenditur et inflatur, sed quum hoc sæpius in
regionibus

regionibus hypochondriacis accidat, nomen morbo inde inditum est, tumor durior et perceptu externè facilius frequentius in hypochondrio sinistro adest, hinc opinio inter antiquos invaluit morbum in liene sedem habere.

Dolores violentes, et tormina regionem umbilicalem cruciant, quæ ex flatûs emissionem paululum levaminis accipiunt, sed hoc citò et copiosè renovato, viribus auctis iterum recurrunt.

Alvi status variat, aliquando laxus, sed plerumque astrictus est.

Præter hæcce canalis alimentarii vitia, corpus aliter dolore vexatur, sed hoc e statu ventriculi maxime pendere judicarem; respiratio difficilis fit et motu plurimum incitatur; caput doloribus in diversis partibus et sæpe stupore vel vertigine tentatur; cor etiam palpitatione afficitur; symptoma inter alia notatu dignum est, fluxus salivæ maxime auctus, quod tam frequenter occurrit, ut hoc morbo laborantes *sputatores* inde nomen audiant. Signis notabilioribus, quibus functiones vitales læsæ indicantur, jam enumeratis, quam brevissime de

functionum animalium læsione dicam, symptomata plurima diversis morbis cum eo de quo nunc agitur communia sunt, mentis autem affectiones ei soli fermè peculiares videntur.

Languor quidam hunc morbum semper comitatur qui ægrum a concitatione aliqua animi corporisve alienat; aliquando memoria quam plurimum imminuitur; tanta est proclivitas ad metum, mœrorem aliaque similia pathemata, ut vel minimâ vel nullâ fortasse existente causâ excitentur; semper de valetudine suâ æger admodum sollicitus est, (et pathematis supradictis animum agitantibus) nil mirum si pessimum semper de eâ opinetur, et hoc etiam ad absurdum, quanquam enim sanitate nullo modo optimâ fruatur, nihilominus procul abest ut ægritudo tanta sit, quanta ipsi videatur.

Ideas quasunque animum occupantes perseverantia notabili prosequitur et investigat, et optime de omnibus ratiocinatur, sanitate suâ solâ excepta, de hac enim opinionem suam tenacissimè defendit, et quò magis infirmare conaris, eò firmiter mente infigitur, tristis autem et cogitabundus hominum

minum societatem averfatur et odit, folitudinemque petit, quo liberius moeſtitiae indulgeat, in hoc ſtatu miſerando tempus conterit; mentis agitatio ſomnum fere adimit, requie tamen forte induc̃ta, ita ſomniis horrendis perterretur miſer, ut viribus parum reſectis expergifcatur, talia vel fortasſe pejora quam die praeunte iterum ſubiturus; morbus quando ad hunc ſtatum pervenerit, ſæpe in melancholiam vel maniam deſinit.

Duratio ejus haudquaquam certa eſt; priuſquam ad trigeſſimum quintum ætatis annum perventum ſit, nullos fere aut perpaucos aggreditur, rariffime verò per totum ſequentem vitæ curſum e morſu tenaci penitùs liberatur miſer ſemel captus, quam remiſſiones nonnunquam experiatur, hæc ſunt admodum variæ, ſed meliori valetudine æſtate quam hyème gaudet; hæc ſunt notabilia ſymptomata. Numero ordine et violentiâ, a rebus ægrotanti propriis, neceſſarie variant.

DE CAUSIS.

CAUSA PRAEDISPONENS.—Quoniam temperamentum melancholicum cauſam præcipue prædiſponentem

ponentem dare judicatur, hujus temperamenti naturam aliquantulum scrutari haud abs re erit eòque magis, quum temperamentorum discrepantiam existere nonnulli penitus denegaverunt, horum verò error hinc forte orsus est, quod opinionem secum formarunt rei ipsi incongruam.

Observatio diuturna probavit, plurima frequentissime in eodem homine simul conjuncta occurrere, et horum unumquodque alterum semper comitari, huic veteres nomen temperamentum tribuerunt, et quanquam *theoria* unde appellatio deducitur, erroribus repleta sit, tamen nil dubitandum quin talis combinatio revera existat; quum omnia temperamentum efficientia vel difficillime vel nequaquam designare liceat, paucis de sensilitatis et irritabilitatis statu dictis, utrum scilicet proportionem in diversis hominibus variant? Num semper fixae manent? Harumque causae investigatione contentus ero.

Irritabilitatem et sensilitatem in juventute quam in senectute majores esse nemo non concedit, sed maximam etiam in his discrepantiam homines ejusdem ætatis exhibent, in uno summa et mentis et corporis

corporis alacritas, quodcunque aut cogitat aut facit, clare nitet, natura hilaris, voluptati, spei, aliisque pathematis excitantibus proclivis est, cogitationes altera alteri cursu tam veloci succedunt, ut nil diu amplectatur, hinc nec studio nec labori arduè incumbit, affectiones suæ plurimum variant, amor odiumque æque mutabilia; causis levissimis mens agitur; copia sanguinis libere circulantis et secretiones omnes abundantes *talem* designant.

Alterum invenimus ejusdem ætatis omnia penitus diversa exhibentem, vultum severum, tristem et cogitabundum, ad pathemata deprimentia vergentem, de omnibus fere pessimum judicantem, quum animus suus cogitationum varietate nunquam divellatur, argumentationis seriem quomodocunque tardam vel difficilem attentione maximâ consequi pollet; affectiones suæ tardæ; in amicitiiis firmus sed odium suum immobile stat, *huic* circuitus sanguinis lentus est et secretiones æquo minores.

Hæ varietates non solum inter adultos sed in infantili ætate sese manifestant, inter senes ac juve-

nes etiam clarè micant, et ex notitiâ flatus solidorum investigare possumus modum quo tale inducitur discrimen. In hac consideratione, præcipuè notanda est discrepantia perpetuò occurrens in densitate solidi simplicis; foetus recens formatus totus mollissimus est et ex mucilagine tremulâ constare videtur, progressu ætatis firmiorem adipiscitur structuram, sic ossa quæ primum gelatinam referrebant, gradatim cartilagines fiunt, et tandem in ossa convertuntur, cutis etiam et membranæ omnes paulatim rigidores fiunt. Hujus mutationis causam ex diversa stimulorum applicatione deducere possumus, nam omnibus notum, stimulo alicui musculo admoto contractionem insequi, hinc partes eum componentes proprius accedere, et hoc modo cohesionem augeri, talis effectus post unam alteramve stimuli applicationem percipi fortasse non potest, sed stimulo diutius continuato clare patebit; cerebro et nervis aliquid simile accidit, horum enim densitatem ætate maxime auctam invenimus; si sensilitatis et irritabilitatis diminutio, e densitate solidi simplicis pendeat, tum hæc densitas, quo
cunque

cumque modo effecta eandem sequælem semper habebit, et hujus argumenti vis ab actione vel modo operandi asfringentium plurimum corroboratur, nam inter omnes convenit, partes horum usu densiores fieri, sensilitatem vero multum imminui, his inductus crederem, sensilitatem aut penitus aut quamplurimum e densitate solidi simplicis pendere, hanc densitatem in quibusdam, quam aliis ejusdem ætatis, gradu majorem esse, multis argumentis probatur; illis cutis densa et arida, capilli firmi et nigri, palor faciei, corpus plerumque macrum et vasa sanguifera superficiem clare perlucentia; hinc verisimile est densitatem in diversis hominibus ex partu variare, et ex hoc fonte effluere possunt temperamentorum phænomena; densitatem in diversis personis ex duabus causis diversam esse jam comprobatum est, nempe, *conformatione naturali* et *stimulorum applicatione*, quarum utraque sensilitatem et irritabilitatem imminuit, tum si ex his una, sit causa hypochondriasis prædisponens, et, altera sit, necesse est, quod multorum et peritorum equidem testimoniis patet, qui plurimos vel

temperamento sanguineo præditos actione stimulorum aut violentâ aut diuturnâ huic morbo obnoxios evenisse narrant.

Inde, omnes ætate provectos prædispositionem habere, colligerem.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS. Nulla causa hunc morbum frequentius inducit quam mentis exercitatio vehemens; qui aliquo negotio detinentur, attentionem arduam postulante, huic admodum proclives sunt, et quum hoc literatis sæpius accidat, *morbus eruditorum* ex illorum tentatione frequenti nuncupatus fuit, iis tamen minime peculiaris est, sed mente, aliqua re penitus distenta, sæpe sequela est, hujus causæ vis necessarie plurimum augetur ex proclivitate illorum qui huic morbo prædispositionem habent, ad attentionem figendam.

Pathemata deprimentia ut mæstitia, metus et similia, sæpissime eum excitant: exemplum tradit HOFFMANNUS symptomatis violentissimis designatum ex mærore pro morte filii orientibus; fortunam etiam in pejus ruentem morbus nonnunquam sequitur; ut attentio immodica, ita tota mentis relaxatio causa esse invenitur; omnes causæ adhuc
numeratæ

numeratæ in cerebrum primariè agunt, debilitatem vel ab excessu vel defectu stimulorum inducentes ; quoniam verò omnes stimuli majorem, in eam cui proxime applicantur quam in ullam aliam corporis partem, vim exercent, idcirco semper invenitur affectionem mentis ab horum actione majorem esse, quam illorum qui nunc sunt memorandi.— Ex multis colligere possumus frigus partim agere in hoc morbo excitando, nam in regionibus frigidis maxime pollet, et equatorium versus penitus evanescit, sub eo laborantes etiam æstate quam hyème meliori valetudine gaudent, humiditas potestatem hujus causæ plurimum adauget, pro certo cognitum est, hypochondriacos valde inertes esse, unde frigoris et humiditatis actioni magis obnoxii fiunt ; sæpiissime observatur desides nimis sibi indulgentes potiusquam laboriosos, in hanc ægritudinem pronos esse, illis fortasse ipsa ignavia causa esse potest satis valida, sed plerumque cum aliis conjungitur.

Causa altera est stimulorum usus immodicus, tales sunt opium, liquores generosiores, nicotiana, &c. emetica etiam et cathartica acriora.

Plurimæ aliæ causæ ab auctoribus numerantur, sicut morbi præeuntes; fluxus varii; evacuationum solitarum suppressio; viscerum tumores scirrhusi; venus immodica, &c. minime negandum quin nonnullæ ex his in hoc morbo excitando multum valeant, sed aliæ sunt modo symptomatice, dum aliæ non nisi conjunctim cum aliis agunt.— Altera causarum classis enumeratur quæ actionem primariam *in solido* producere dicitur, scilicet astringentium et tonicorum usus immodicus sed hæc ut et omnes stimuli diutius usitati prædispositionis incremento potius favere videntur.

DE CAUSA PROXIMA multum inter se discrepuere medici, certe haud operæ pretium erit mentionem facere de *ataxia* spirituum animalium vel de vaporibus olim pro causis habitis, hæc quanquam prima facie absurdæ multum tamen olim prævaluerant; antiqui (propter causas antea narratas) lienem affectum putabant, sed in plurimis ægris, hoc viscus post mortem penitus intactum invenitur, et etiamsi morbidum esset, hoc nequaquam sufficeret ad explicanda symptomata; ab aliis congestioni

in visceribus abdominalibus attribuitur, quorum opinio hinc orta, quod in dissectione cadaverum nonnullorum quibus hic morbus lethalis fuit, vasa miseraica multo sanguine impleta fuerant et viscera ipsa tumida et scirrhusa, sed hoc concessio, hæc omnia, symptomata vel sequelas potiusquam causas esse videntur.

His addiderunt nonnulli debilitatem tubi intestinalis sed hic in dyspepticiis multo magis afficitur sine pathematum hypochondriacorum occurfu.

His opinionibus jam enumeratis, ad investigandam causæ proximæ naturam ex actione causarum remotarum progrediar.

Ex supradictis apparet causas prædisponentes simul concurrere in afficienda densitate solidi simplicis, ideoque cereberi; ad hoc probandum observatur, cerebrum in hoc morbo densius fieri; nonnullæ ex causis excitantibus, ut mæstitia, metus, mentis exercitatio diuturna, in cerebrum directè agunt, dum aliæ, ut vita sedentaria, evacuationes nimix, stimuli æquo majores, actionem primariam in aliis corporis partibus producunt, hæc omnia

nia ad systema infirmandum tendunt ; quanquam causæ posteriores ad hoc infortunium excitandum plurimum valeant, tamen cum status mentis hypochondriacus distinctè notetur (meâ sententiâ) ad actionem priorum referendus est, nihilominus libenter concedam, debilitatem cerebri excitari posse vi stimulorum in alias corporis partes agentium ; sed actio plurium causarum aut ex varia in corpus applicatione, aut ex combinationibus diversis symptomata variare solum videtur, causa proxima ergo videtur esse debilitas, in statu denso solidi simplicis, causis cerebrum præcipuè afficientibus inducta : et hinc rationem quæram symptomatum notabiliorum incipiens cum pathematis.

Inter corpus et principium sentiens connexio est arctissima, ita ut affectio quævis unius alteri facillime impertiatur, quomodo hoc efficitur penitus ignoro, ideoque intactum relinquam, fat mihi, si cogitationis mutationes quasdam e certis corporis conditionibus pendere probatum sit, et jam supra demonstravi connexionem quandam existere inter statum densum solidi simplicis et proclivitatem ad pathemata

pathemata deprimentia; huic statui si stimulus æquus applicetur, hilaritatem bonamque valetudinem parabit, sed si major sit vel minor æquo, tum superabit proclivitas.

Quod ad intestinorum phænomena attinet, ut digestio plurimum e statu fibræ muscularis pendere videtur, non mirandum si multum lædatur, cum irritabilitatis defectus hic tam conspicuus sit; congestio in visceribus ex hoc oriatur quod cor et arteriæ non sat valida sunt, ut sanguinem totum usque ad extremitates propellant, etinde accumulatio fit in partibus internis; omnia alia symptomata aut ex his pendent, aut rationem similem admittunt.

DIAGNOSIS.

NIL difficilius in re medicâ aut attentione medici dignius, quam morbos accurate distinguere, quod hic maxime necessarium est, quum nulli morbi plus confundantur, quam ii, nomine *nervosi* cogniti, hoc præsertim evenit inter dyspepsiam, hysteriam, et hypochondriasin, tamen phænomenis in
singulis

singulis diligenter incumbendo, diagnosi admodum facilis erit ; homines ætate provectos (præcipue si sint melancholici) hypochondriasis aggreditur ; sed in juvenes et sanguineos dyspepsia impetum facit ; constipatio illis quam his frequentius accidit ; animi affectiones discrimen optimum præbent, nam dyspeptici non sub tanta mentis labe laborant, et etiam si animo paululum demissi sint, nil est nisi gradus quidam timiditatis cito abeuntis ; anxietas e contra et metus præcipuè de valetudine suâ hypochondriacum designant.

Quanquam hysteria hunc morbum aliquantulum æmuletur, tamen discrepantia est satis luculenta, hysteria subito impetum facit nec diu permanet, et postquam recefferit bona valetudine fruitur homo, at hypochondriasis pedetentim serpit, et sine intermissione ægro semper adhæret, illi fæminæ sanguinæ, huic vero senes melancholici maxime obnoxii ; convulsiones et coma semper sunt illius satellites, hanc autem nunquam comitantur, his adde globum et clavum hystericum tam frequenter in priori occurrentes.

Hi morbi alter ab altero facile distinguuntur, sed hunc inter et melancholiam difficilior est diagnosis; dyspepsiam symptomaticam hypochondriacaeos characteristicam esse nonnulli voluere, sed CULLENUS (qui acumine ingenii nemini palmam cedit) hoc symptoma in melancholiâ sæpius occurrere notavit; alii exaffectione mentis discrimen trahunt, si de valetudine suâ sollicitus sit æger hypochondriacus est, si aliter omnino occupetur vel ideas absurdas de seipso concipiat, melancholicus.

P R O G N O S I S:

NEQUAQUAM fausta est, nam morbus radice semel fixâ rarissime recedit, sed hostiam jam captam angoribus, aliquando veris, sæpe falsis excruciat; si ætate provectus sit æger et temperamentum melancholicum in illo distinctè notetur, sanitas plena omnino desperanda est, et eo magis quo morbus diuturnior fuerit; at si ab evidente causa juvenem aggrediatur, hâc remotâ, medicabi-

lem futurum sperandum est, nisi melancholici sit temperamenti et morbus diu duraverit, tum quod ætate ingravescat metuendum; cum hominem in senectutem vergentem e causâ quavis immedicabili aggrediatur, et per longum tempus remaneat, in melancholiam terminaturum verisimile est.

METHODUS MEDENDI.

HUNC morbum, ex actione virium debilitantium in statum densum solidi simplicis pendere, in parte præcedente hujusce dissertationis demonstrare conatus sum; cum de prædispositione dixerim, connexionem inter hunc statum et sensilitatis irritabilitisque defectum indicavi; hæc conditio paulatim semper, nunquam subito variationem pati videtur, ideoque indicationes præcipuæ sunt;

Causas remotas amovere;

Symptomata maxime urgentia mitigare;

Remedia statui solidorum idonea exhibere;

Meditatio nimia cum vita sedentariâ conjuncta

ta inter causas præcipuas enumeratur; his igitur continuatis fanitas nequaquam speranda; æger studia seponere et exercitatione modicâ cætuque hilari seipsum occupare debet, pro exercitio SYDENHAMUS equitationem premultum laudat, et vel omnibus aliis remediis superfedere putat, exemplum unius referet hoc morbo nimio studio impliciti, cui (plurimis incassum tentatis) hoc suavit, et perseverantiâ, e statu pessimo ad secundam valetudinem demum reductus fuit æger. CULLENUS hanc efficacem esse mentem exercendo autumat; si frigus cum humiditate in causâ sit, aut mutatione cœli, vel si hoc fieri non possit, vestimentorum calidiorum usu medela quærenda est; aliæ causæ remotæ ut venus immodica, vinum plus fatis, nicotiana, &c. penitus sunt fugiendæ.

Quædam ex remediis quibus symptomatis urgentibus obviam itur, nunc veniunt numeranda; cruditates frequenter adfunt ventriculo et cum nausea et anorexia perquam molestæ sint, emeticum lenè debet exhiberi, in plurimis casibus laxantia lenia ut super tartris potassæ, &c. sufficiant, sub-muriâs

hydrargyri etiam fructu non caret ; **HOFFMANNUS** laudat enemata emollientia utpote optima ad expellendam fordem et spasmos flatusque removendos, aciditas tam sæpe hunc morbum comitans absorbentium ope corrigenda est, et ita levabuntur cardialgia atque dolores ventriculi inde orientes, si autem pertinaces fuerint, opio, parvis dosibus uti liceat, modo illius effectibus malis, ope remediorum alvum leniter solventium obviam itur ; ad spasmos intestinorum ex flatu inductos compescendos remedia antispasmodica ut opium æther, &c. bene aptantur.

Nunc ad postremam indicationem preventum est, nempe ut remedia pro flatu solidorum exhibeantur, permulta medicamenta ad roborandum systema laudata sunt, sed, ut antea diximus, illorum usus magis nocet quam juvat, ideoque attentio medici præcipue ad regimen ægrotantis dirigenda est, diæta nutriens foret et levis, vegetabilia et omnia alia aciditatem gignentia summâ cum cautelâ evitanda ; post prandium paululum vini bibendum, theâ et caffèâ modice utendum ; de exercitationis commodis

commodis antea dixi, hic loci fortasse operæ præ-
tium erit notare nequaquam statim post cibum
sumptum exercitandum esse; æger in temperie
equabili, magis calidâ, semper versare debet, quo-
niam systema vim excitantem magnam postulat, sed
vicissitudines omnes caloris atque frigoris nocere
videntur, hinc balneo calido non utendum sine max-
ima attentione ne æger incautè et subito in frigus
perveniat.

Nunc de mente tractandâ aliquid dicerem, sed
hoc ultra limites opusculi hujusmodi perduceret,
hac igitur de causa eos qui plura et multo meliora
de hoc morbo discere volunt ad opera cl. CULLE-
NI ablegare vellem.

F I N I S.

